

# VITA CHRISTIANI EHRENFRIED LEHMANNI

DOCTORIS MEDICI ET SAXONICARVM QVAE FOEDERATORVM  
STIPENDIIS IN BELGIO MILITANT COPIARVM  
ARCHIATRI

EXPOSITA

A  
**M. THEOPHILO GRABNERO**  
GYMNASII FREIBERGENSIS COLLEGA  
TERTIO

[ad 1705]

Aepe multumque dolere soleo, miseriis hominum id quoque accessisse mali, ut, qui iam ad bonam salutaremque Reipublicae indolem adoleuere, cooperuntque frugi esse publice, et ingenium ac dexteritatem bonis omnibus comprobare, praematura morte, uelut in ipsis initii, opprimantur, supersint contra diutissime, qui se tantum uel ad consumendas fruges, uel ad struendos do-  
los, dandas turbas, iniuriasque inferendas, natos arbitrentur. Videas Ale-  
xandros, Lotichios, Vossios, alia ingeniorum portenta, in iuuenili aetate maximis conatibus, et summae omnium expectationi, immori, uulgas contra iners ac futile ad extremam senectutem peruenire. Adeo nihil in flore iuuentutis, nihil in uiribus, in forma nihil, nihil in ingenio, aduersus fatorum uim praefidii est, ut, qui his praeter ceteros excelluerit, ei maxime infesta fata uideantur. Quam rem si humani ingenii arbitratu existimes, indignissimam sane, et bono publico perniciosa, sin animo diuina luce col-  
lustrato reputes, sanctam quidem ac iustum censem, at nec lacrimis deplorandum satis, nec hominum iudicis assequendam. Ea cauſa est, quamobrem nunquam sine acerbissimi luctus sensu memoriam VIRI quandam NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, atque EXPERIENTISSIMI,  
**DOMINI CHRISTIANI EHRENFRIED LEHMANNI**,  
Doctoris Medici, et Saxoniarum, quae Foederatorum stipendiis in Belgio militant, copiarum Archiatri, repeto, quem praecox nuper fatum nobis subtraxit, quum genere, aetate, forma, moribus, fortuna, ingenio, usu rerum medicarum, ac fauore omnium maxime floreret. Enimuero, si laudi ducitur, honesto loco nasci, habuit ILLE, cur nascendi felicitate gloriaretur. Ortu namque est GENTE LEHMANNIA, quae cum antiquis temporibus eam ab Imperatoribus gratiam uirtutum meritis innitit, ut in equestrem ordinem transcriberetur, tum inde ab aliquot seculis probos, urilesque Reipublicae, uiros haud interrupta serie produxit. Patrem  
habuit NOSTER CHRISTIANVM LEHMANNVM, Docto-  
rem



rem Theologum, sacerorumque in Annaemontano primum, deinde Freibergensi, agro Antistitem, auum CHRISTIANVM LEHMAN-NVM, sacerdotii apud Scheibenbergenses, et Senioris in traectu Annaemontano, dignitate spectatum, proauum M. THEODOSIVM LEHMAN-NVM, Elterlinatum sacerdotem, atauum M. PETRVM LEHMAN-NVM, Annaemontanae ciuitatis Consulem. Matre usus est ANNA ROSINA COLERA, M. DAVIDIS COLERI, ut infusa apud Schuarzenbergenses, sic, qua sacerorum cura ad Annaemontanum Praefulem pertinet, A DIVNCTI titulo clari, et REGINAE GROSCHIAE, filia, M. BLASII COLERI, ICti et Consulis Colliciensis, et M. DAVIDIS GROSCHII, Korensium sacerdotis, nepte. Hac stirpe prognatus, A. R. G. c i o i o c lxxxii v i Idus Septembres ab hora septima uscipeptima Annaebergae lucem aspexit, maximo PARENTVM gaudio exceptus, tanto quippe carior, quod fratris immaturo fato surrepti desiderium sua natuitate leuaret. Labem autem, qua inde ab Adamo infecti homines natura sumus, ut abstigeret mature infans, recens natum PARENTES V. Idus Septembres opera M. SIGISMUNDI ZIMMERMANNI, Metallicorum Oratoris sacri, sacro fonte ablui curarunt. Sponderunt tum pro infante LVDOVICVS GVNTHERVS MARTINI, Iurium Doctor, eoque tempore ciuitatis Annaemontanae Syndicus, post ab Illustrissimo Comite Stolbergico curiae, quae Verningerodae est, Director constitutus, atque is quidem non suo, sed THEODOSII LEHMANNI, Iurisprudentiae Doctoris, Clientelarum Culm et Loebitz Dynastae, Serenissimo Duci Martisburgensi a consiliis aulae ac iudiciorum, nomine, suo autem M. ENOCH ZOBELIVS, apud Annaemontanos Diaconus, et BARBARA, CHRISTIANI SCHVCHMANNI, Doctoris Medici, et Physici Annaemontani, uxor. Puer inde uix animi sensa intelligenter exprimere didicerat, cum animum proderet ingenaum, et in obsequia, ac bonas literas, in primis medicinae scientiam, prouum. Tam bona igitur indoles ne degeneraret neglecta, PARENTES non tantum ipsi domesticis exemplis uiam puero ad pietatem, morumque probitatem praciuiere, sed Magistros etiam constiuerunt, qui tenellum ingenium religionis ac literarum rudimentis imbuerent, et ad recta officia, morumque elegantiam, fingerent. Principio priuatum in disciplinam traditus est M. GEORGIO VHLMANNO, diuinioris doctrinae scientiae addicto, eoque morte praematura sublato, M. ERNESTO STRVNZIO, tum iisdem studiis dedito, nunc Rassouien-sium sacerdoti, tandemque M. GEORGIO MVLLERO, Collegae tum Tertio, nunc Conrectori Annaemontani Lycei. Quibus ducibus cum primas duxisset lineas, coepit publicas in urbe patria scholas frequentare, et institutione uti M. IOANNIS IACOBI STVBELII, Rectoris, GEORGII PLATONIS, Conrectoris, M. GEORGII MULLE-RI, Collegae Tertii. Ab anno deinceps c i o i o c xcvi quo PATER EIVS MAXIME VENERABILIS Freibergam ad clauum sacerorum euocatus est, in Gymnasio, quod nostra in urbe floret, uersatus, audiuit M. TOBIAM LIEBIVM, Rectorem, et CHRISTIANVM FRIT-

FRITSCHIV M, Correctorem. De PARENTVM autem consilio in Altenburgenle Gymnasium anno c1510cc se contulit, ut, quod restabat tirocinii scholaftici, opera IO. CHRISTIANI VVENZELII, Philosophiae ac Medicinae Doctoris, Directoris Gymnasi, et Poëtae insignis, M. item FRIDERICI FRISII, Correctoris, cuius etiam conuictu utebatur, deponeret, atque ad uastum medicinae studium quadam ueluti promulside instrueretur. Nec fecellit ea PARENTES expectatio. Quam enim industriam, quod obsequium, NOSTER Annaebergae ac Freibergae Praeceptoribus probauerat, eodem Altenburgensium Magistrorum animos sibi conciliauit. Erat enim, ut uultu, ita ingenio, plane liberali, doctrinæque auido, tardiusculo tamen, prorsus ut, quod studiorum successibus tarditate decederet, assiduitate redideretur. Vix annum igitur Altenburgi nauarat literis operam, quum, Magistrorum iudicio, crederetur ad iustum maturitatem peruenisse. Hinc de PARENTVM sententia Vitembergam, in antiquum illud altioris doctrinæ domicilium, A. R. G. c1510cc commi grauit, ut amplissima ibi medicinae stadia decurreret. Initiatu ritu Academico, nomenque inter ciues professus, duces studiorum delegit sibi IOANNEM GODOFREDVM BERGERVM, Archiatrum regium, CHRISTIANVM VATERVM, Archiatrum Principum Anhaltinorum, ADAMVM BRENDELIVM, Doctores omnes ac Professores Medicos, scientia et usu artis medicae excellentes. Ab ore tamen BERGERI, tanquam alterius Celsi, Hippocratisue, pependit potissimum, eiusque animum sedulitate ac obsequiis ita deuinxit sibi, ut paene in filii locum ab eo amaretur. Memini LEHMANNVM nostrum amicis identidem laudare BERGERI doctrinam, fidemque, et constanti uultu subinde affirmare, in summa se felicitatis parte ponere, quod BERGERVM naestus doctorem esset. Tanti ergo Praeceptoris amor et existimatio cum stimulos currenti adderet, felicius processit studium, praesertim quum in rimandis naturae mysteriis, artis experimentis, Doctorum praceptione firmatis, imitatione exprimendis, excutiendisque medicinae recessibus, omne fere tempus, naturali quodam impulsu, NOSTER collocaret. Tam ardui autem sublimisque seueritatem studii ut iucunda quadam varietate temperaret, oblectorias sectatus artes, horis subsecuius e cera, gypsoue, ducere imagines, liacula politionibus miniaceis subigere, et lignis succo, quem *laccam* uulgs appellat, nitorem inducere, didicit. Quae ipsa tamen animi oblectorienta, ne iuuenili quodam impetu potius, quam iudicio, sequi uideretur, externi sermonis, Gallici maxime, Italique, cognoscendi studio dispuxit, ita dispertitus pensa, ut nec leuiter, frigideue, tractaret singula, nec caput tamen, arcemque, operae constitueret. Dum ergo primas semper, praecipuasque, curas medicinae impedit, perfecit facile, ut, uix condito lustro, quum idoneum perceptae artis periculum in Senatu Medicorum fecisset, Patrum suffragiis, Medicinae Candidatus renunciaretur, honestissimoque comprobatae dexteritatis testimonio ornatus, domum rediret. Haec ita A. R. G. c1510cc gesta erant,

nec tamen omne artis stadium emensus sibi NOSTER uidebatur. Ne  
igitur deesset occasio premendi instituti, proficiendique in dies singu-  
los, anno c 15 10 CC VI Lipsiam adiit, Aesculapii filios, qui ibi praeter  
ceteros artis medicae peritia celebres habentur, auscultatum. Quo mi-  
nus autem diu suo uoto perfueretur, tristis illa, omnique Saxonum  
posteritati memoranda, Sueonum incursio impedituit. Ea enim tempe-  
state, ueluti exturbatus Lipsia, Dresenam ueterem de PARENTVM  
uoluntate se recepit, ruminandisque Medicorum, quas in Academiis au-  
diuerat, praeceptionibus priuatim operam dedit. Verfatus autem ibi in  
celebritate, crebris salutationibus in summorum uirorum gratiam facile  
se insinuauit. Quae enim in eo inerat morum suauitas, quae oris uere-  
cundia, quae uultus mira comitate temperata grauitas, non tam allicere,  
quam blanda quadam ui ac impressione rapere ad se, animos, etiam uiro-  
rum principum, uidebatur. In primis eius indoles excellenti praeter cete-  
ros Medico, Archiatro et Consiliario regio, TROPPANEGERO,  
Viro Amplissimo, se probauit, prorsus ut primae apud eum admissionis  
effet, ac subinde consiliorum eius particeps, rationumque, multa prudentia,  
longoque usu, firmatarum, conscius redderetur. Interim Sueones inter,  
Saxonesque, pax composita, NOSTRO que usum erat tempus commo-  
dum curandis morbis manum admouendi, ut, quae crebris auscultationibus,  
affiduaque lectione, imbibera, in usum et exercitationem traduceret. Id  
uero ut tutius facere, et confirmato animo, posset, Medicum peritia artis  
suae, multaque experientia, celebrem PARENTES circumspexere, cu-  
ius ILLE hospitio, conuietu, confuetudine, consiliis, aliquantis per usus, re-  
ctam iniret medendi morbis uiam, paratiorque ad faciendam euaderet me-  
dicinam. Magnatum apud omnes VOLCKMARI BODENII, Do-  
ctoris Medici, Greussenae in Thuringis degentis, fama erat et existimatio,  
qua excitati PARENTES, cooperunt cum eo per internuncium, Chri-  
stianum Lanzenbergerum, sacerdotem Grosuelsbacensem, transigere, de  
filio in familiam certis legibus transscribendo. Quas ille quum haud difficul-  
ter accepisset, mense Sextili anni c 10 CC VII Greussenam fecessit NOSTER,  
breuique tempore summam cum BODENIO contraxit familiaritatem,  
admissus ab eo ad mensam, hospitium, amica colloquia, inque bibliothecam,  
quam et locupletem habebat, et a selectissima supellecstile instrutam, assum-  
tusque in consiliorum, ac usus medici, conscientiam. Testes eius rei sunt  
literae ad Virum maxime Venerabilem, LEHMANNUM PATREM,  
a BODENIO prescriptae, quibus, quo fuerit in NOSTRVM ani-  
mo, quantique eum ob ingenii morumque praestantiam fecerit, aperte  
significauit. Quo factum est, ut, quum, anno nondum exacto, a PA-  
RENTIBVS domum, ueluti in fundum suum, prudenti consilio re-  
uocatus effet, aegre a BODENIO, tanquam ex amplexibus, dimissus,  
sui desiderium relinqueret. Greussenae mense Quintili anni c 10 CC VIII  
Erphordiam iuit, ibique substitit aliquantis per, quasi defixus animo in hu-  
manitate BECHMANNI, Viri celeberrimi, Doctorisque Medici pra-  
estantissimi, quippe a quo liberaliter exceptus, habitusque, et adscitus ultro  
erat in amicorum numerum, consiliorumque ac negotiorum societatem.

Tam

Tam facile NOSTRO amicitiis uultus morumque uenustas conciliabat, quam prompte IS demereri eas sinceritate animi, confirmare obsequiis, nouerat. PARENTVM autem uoluntati quum gerendus mos esset, eodem anno Erphordia domum redit, coepitque Freibergae primum, mox et Dresenae ueteris, opem ferre aegrotantibus. Quod tamen magna peregrinandi cupiditas ab aliquot inde annis eum inceperat, nullam sibi sedem certam prius futuram ratus, quam potitus uoto esset, adduci haud potuit, ut, sumto Doctoris titulo, definiret aliquam, in qua medicinam publice constanterque faceret, ciuitatem. Plane igitur ex animi eius sententia euenit, ut ab ILLVSTRI MILCKAVIO, Saxoniarum, quae in Belgio militant, copiarum Propraetore, Medici castrensis partes ipsi deferrentur, uiarumque socius, honestissimis conditionibus, legeretur. Eo enim pacto et inferiorem Saxoniam, et Belgium omne, exiguo sumtu peragrauit, urbes et Academias plerasque oculis, animoque, perlustrauit, externarum mores gentium cognouit, nihil denique non memoratu dignum, et in futuros uitae usus conueniens, passim obseruavit. Eius peregrinationis initia in annum c 15 15 cc 19 inciderunt. Tum autem, amplissimum sibi artem, ingenium, ac dexteritatem, experiundi campum aperiri ratus, summo studio, omnique cautione, id egit, ut ne quid alterius periculo tentaret, cunctis uero peritiam rei medicae, prudentiam, fidem, comprobaret. Quum ita se et ab artis suae scientia instructum fatis, et usu haud parum confirmatum, sentiret, proximis hibernis, orata Procerum pace, Lugdunum in Batauis concessit, Doctoris Medici nomen et dignitatem, qua par erat ratione, petiturus. Ibi, postquam idonea ingenii ac doctrinae specimina cum priuatis colloquiis, tum publica de *Ayogea* disceptatione, edidisset, auctoritate Sere-nissimi Principis, Guilielmi Nassouii, Hollandiae ac Zelandiae Gubernatoris, et Illustrum ac Praepotentium Hollandiae ac Zelandiae Ordinum, 111 Cal. Maias anni c 16 16 cc 10 Academiae Rectore Bernardo Albin, et Ordinis Medici De-curione Ioanne Fridloo, in publico confessu a Brabeuta, Friderico Dekkers, Medicinae Doctor creatus, ac in fidem rei munitus est consueto diplomate, cui lo. Ludou. Mort, et I.H. Boerhaue cum Pro-Actuario Senatus Academic, VVolferdo Sengueidio, subscrispse. Inde in castra reuersus, cum ILLVSTRI MILCKAVIO, donec hiematum irent milites, fuit, et laborantes ex morbo et uulneribus consilio et medicamentis adiuuit. Deinde, PARENTVM ut obsequeretur uoluntati, impetrata itineris uenia, domum redit, tanquam suprema matri officia praestiturus. Ea namque tum cooperat, malo intestino affligi grauius, quo, cum uenter intumesceret, cetera membra misere exedebantur, omni medicamentorum uirtute elusa. Huic ergo curandae omnem, quam poterat, indu-striam, prudentiamque, adhibuit, reliquum tempus praeparandis ad amicorum, et necessariorum, preces medicinis impendit, nec defuit aegrotantibus aliis, si qui eius opem flagitarent. Superfunt bene collocati temporis testes, thecae variis medicamentorum generibus instructae, in Parentum et consanguineorum usus, commentaria item, quibus praefen-tissima certis morbis remedia, eius manu perscripta ac praecepta, repe-rias. Nec tamen quicquam horum contra inueteratum, qui matrem in-

festabat , morbum ualuit , tametsi id complures summa ope niterentur .  
Domi dum haec aguntur , LEHMANNVS noster ILLVSTRIS  
MILCKAVII , aliorumque Procerum , commendatione , a Senatu San-  
ctiore bellico , qui Drefenae est , Saxoniarum copiarum , in Belgio mili-  
tantium , princeps Medicus constituitur , et , honestissimis conditionibus ,  
diplomate regio firmatis , conductus , in Belgium redire iubetur . Matu-  
raturum uiam cura matris , iam fere animam agentis , remorata est , quip-  
pe cui et moribundae adstitit , et mortuae , humandaeque , exequias iuit .  
Prius tamen , quam iusta ei haberentur funeralia , ingressus iter est , post-  
quam necessariis et amicis uale , tanquam moriturus , dixisset . Neque enim  
omine res omni caret , quod , Patrem se iam postremum uiuum uidere , pa-  
lam professus est iterum iterumque , et , quam in marsupio gestabat reculam ,  
iam accinctus itineri , sororibus , suae memoriae commendandae caussa , sor-  
te distribuit , interserens caussam , quod nunquam deinceps ad ipsas esset  
rediturus . Non illud leuius uideri praesagium poterat , quod , elato matris  
funere , cum fororum una , quisnam prior secuturus ad Superos matrem sit ?  
forte interrogasset , ipse illico , se primum fore , respondit , atque id per io-  
cum esse dictum putantibus iterum constanti uultu , praesentique animo ,  
asseuerauit , nihil ut subesse simulationis , aut ineptiarum agi , intellige-  
rent . Iam olim , tricesimum sibi annum fatalem fore , subinde praec-  
dixerat , cui quo nunc erat propior , hoc magis et se mortis , et  
amicos postremae salutationis , putabat admonendos . Ita ad quoscum-  
que paratus casus , paternam domum , patriamque , non tamen sine  
magna animi perturbatione , reliquit , nunquam deinceps reuisurus .  
Dies , quo eum consanguinei postremum oculis usurparunt , ipsae Nonae  
Sextileis anni cccxi. fuere . Cursu deinde publico feliciter in Bel-  
gium delatus , multos Procerum , quin & ipsum Saxoniarum copiarum  
Prætorem , ILLVSTREM VVILCKIVM , cum pertinaci febri con-  
fliatum , mira celerritate sanitati restituit . Tam auspicatis suscepiti mu-  
neris initii admirationem prudentiae suae , uirtutisque existimationem , apud  
omnes concitauit , prorsus ut ex eo tempore plus ualeret Primorum gra-  
tia , carior amicis esset , a reliqua autem turba impensis coleretur . Tum  
uero si quos ciues , aut populares , in castris , offendit , iis lese amicissimum  
præbuit , opisque indigos pecunia , suisque studiis , quantum potuit , iuuit .  
Eius rei fidem faciunt chirographa eorum , e castris transmissa , quibus , se  
obaeratos NOSTRO esse , sunt professi . Transacta in castris aestate ,  
Louanii , quae et celeberrima est , et antiquissima , Belgarum Academia , hi-  
bernauit , idque tempus , sibi lucro datum existimans , ac si studiorum cau-  
sa illuc uenisset , collocauit . Adulso autem uere , Duces in castra secutus ,  
abiit , suprema stipendia meriturus . Dum ad Quercetum castra sunt , et in  
expugnanda urbe exercitus occupatur , Ipse Duacum mittitur , ut ualedi-  
nario , quod ibi constitutum erat , præcesset , curamque gereret militum ,  
uel ex morbis , uel ex uulneribus decumbentium , ac chirurgos consiliis , et  
arte adiuuaret . Quae res tam salubris aegrotis fuit , ut ex octingentis , qui  
illuc comportati erant , uix unus , alterue , morbo succumberet , ceteri suis  
cohortibus salui redderentur . At hinc illae nobis lacrimæ ! hinc ille luctus  
est ,

est, planctusque! NOSTER enim dum in aliis ad salutem reducendis diligentius elaborat, ipse letalis mali semina colligit, et, quod ab aliorum capitibus propulsauit arte sua periculum, adit, non eluctaturus. Lenta primum, nec discriminis quicquam habitura, febris uisa mox inopinantem summa ui atque impressione inuadit, aestuque tanto membra urit, ut, prostratis subito uiribus, persentisceret ipse, omnem Medicorum opem nihil sibi profutaram. Nihilo tamen minus et uenam incidi sibi, et medicamenta adhiberi, passus est, ne intempestiuā se abstinentia perdidisse crederetur. Interim et amicis, si qui eum conuenissent, se moriturum praedixit, et ad discessum ex uita, tanquam ad redditum in patriam, sapienter se, et animose, comparauit. Professus apud sacerdotem aperte ingenuaque peccata, noxarum ueniam D E V M orauit, formataque rite conscientia, coeleste illud, quod humani Seruator generis in sui memoriam instruxit, epulum de manu dispensatoris sumuit. Tum recenseri reculam suam, et referri in commenaria, ac fide Notarii communiri iussit, ultimamque testatus est uoluntatem. Interrogatus, nunquid praeterea angeret animum? nihil, ait, esse, quod menti, coelestia cogitanti, aegritudinem afferre queat, praeter PATRIS OPTIMI recordationem. Cuius enim praecepta per omnem uitam pro oraculis habuerat, cuius pietate ac precibus suam constabiliri fortunam senserat, quem non temere unquam, nisi imprudens, offendebat, eum, accepto mortis suae nuncio, in luctu et squalore futurum, uehementer dolebat. Adeo eum nec amor PATRIS, nec ueneratio, nec acceptorum beneficiorum memoria, prius, quam ipsa uita, destituit. Venit mihi in meitem recordari illius diei, quo, familiarius mecum collocutus, subinde se D E O supplicare sancte afferebat, ne superesse se Parentibus patteretur, quod eorum, dum uiuerent, deprecatione florere res suas, morte autem collapsuras, existimaret. Quae uota etsi tum mens, quod nullorum sibi in D E V M meritorum esset conscientia, sapienter diffusa conatibus suis, et in Parentum religione ac sanctimonia, ui diuinæ promissionis, fortius confusa, imperasse potius, quam praesaga fatorum fecisse videbatur, rata tamen fuisse, euentu, heu! nimium tristi edocemur. III enim Eidus Quintileis anni cīcīcc xii, qui bene multis salutem arte sua reddiderat, in ipso aetatis flore, Duaci triginta annis duos menses minor, superstite PATRE, diem suum obiit. Quod fatum quanquam omnium iudicio praematurum, et expectatione citius obtigisse, uisum est, N O S T R V M tamen nec inopinantem opprescit, nec rapuit imparatum. Praeterquam enim quod imminentem uitae terminum identidem, ut supra dictum est, haud incertis indiciis praefagivit, mature etiam Paulinum illud ex epistolae ad Rom. cap. V, 1,2, dictum selegit sibi, de quo in exequiarum suarum solemnitate, si id patenter tempora, orator pro rostris sacrīs exponeret, coepitque suam Ipse uitam scripto enarrare. Ceterum ut faceta semper hilaritas, praesentibus amicis, ex uult eius emicaret, mens tamen, diuini praesentiam numinis ubique reuerita, et coram arbitris, ne criminum se conscientia contaminaret, sollicitate cavit, et, remotis iis, rerum coelestium meditatione, religiosisque supplicationibus, solitudinem oblectauit suam. Poteram ipse, quippe et in Academia quandam, et domi, subinde familiarius LEHMANNI nostri con-

Z. 3519 FR X 313 3929  
suetudine usus, locuples eius rei testis esse, nisi grauior mihi assertionis auctor  
suppetteret VIR MAXIME VENERABILIS, M. PAVLVS CHRISTIA-  
NVS HILSCHERVS, facrorum, quae Drefenae veteris fuent, Antistes, qui in  
literis ad SOCERVVM, iv Calend. Sextil. c1510 ccxii perscriptis: *Saepe numero, inquit, filium, qui nunc in Diuis agit, tuum, quoties hospitio usus est meo, non sine summa animi delectatione audiui in cubiculo pacem Dei suppliciter orantem, et pia cantillantem carmina, praeter cetera autem illud frequentius: In allen meinen Thaten/ lasz ich den Höchsten rathen/ reliqua; quippe quod adprime in fortunam conuenire suam aiebat.* Memini etiam, collaudare illum identidem ultimum, quem cantilena: *Wer nur den lieben Gott lässt walten: Doctor SITTI-*  
*GIVS nouissime adiecit, uersiculum: Auf dich/ mein lieber Gott ich traue/ et reliqua, adiecta causa, eosē mentem, de futuris uitiae praefidis sollicitam, anxiamente, optime consolari posse.* *Animaduerti hodie, pridie Cal. Nou. anni c1510 cc*  
*VI eum, cum Suones terras nostras tenerent, quo animo in fortunae tempestatisbus effet, in orbiculo nitreō fenestræ, quæ in hypocausto meo est, antiquo illo diclo expressisse.* *Vnus uitiae huic fluctuantis et turbidae portus est, stare fidenter, et furentis fortunae tela aperto pectori fortiter excipere.* Id saltim ego non possum, quin adiiciam, in primis eum delectatum fuisse cantilena illa: *Unseren müden Augen Lieder;* quod et insignis in ea, ut aiebat, esset ueniam criminum orandi formula, et ultimus uersiculus summam precum, quarum exemplum humani Sospitator generis ipse dedit, contineret. Nec memini ego, praesente me, unquam eum iuuisse cubitum, nisi carmine quodam exequiali, aut quo diuinorum errorum ueniam flagitaret, decantato. Tranquillis igitur rebus cum omnes casus prudenter circumspexerit, et proximam quamque horam fatalem sibi, postremaque, putauerit, non potuit non in ipso discrimine fidenter stare, laetoque et constanti animo transiit in coelestes domos, meritorum Christi fiducia fultus, parare. Nihil ergo est, quod morientis uicem, ut miseram, doleamus, praescerit quum corpus exanime ipsis Idibus Quintilibus anni c1510 cc xii Duaci, militari ritu, solenniter, ac honorifice, contumulatum esse, famam autem, et desiderium eius summum apud omnes, qui eum nouere unquam, praecipuos etiam militiae Duces, supereesse sciamus. Confirmant hoc literae cum ab ILLVSTRI MILCKAVIO, tum a cauſarum militarium praecipuo Arbitro, Dn. CHRISTOPHORO HENRICO HOEN-NIO, e castris ad SVMME VENERABILEM LEHMANNVM, Patrem, datae, quippe quibus, quam acerba haec LEHMANNI nostri mors fuerit omnibus, et castrorum praefectis, et militibus, explicatur. Accedit oculatus laudum, quas NOSTER et morum iucunditate, et artis praestantia, in castris ab omnibus consecutus est, testis M. STVRTIVS, Milcauianae quondam in Belgio cohortis sacerdos, qui hoc magis certum, idoneumque, pietati eius ac sanctimoniae perhibuit testimonium, quod et coniunctissimus ei uixit, et eius subinde conscientiam formauit. Atque id est, quod maxime exulcerat uulnus PATRIS, canitie, meritis, et muneri dignitate, summopere uenerabilis, prae-matura morte praereptum sibi esse filium, quem ament omnes, collaudent omnes, omnes uelint superstitem. Cuius ego luctui quum facere non possim, quin collacrimer, DEVVM oro immortalem suppliciter, ut ipse fa-lubriter medeatur!

COM-

nc

# VITA CHRISTIANI EHRENFRIED LEHMANNI

DOCTORIS MEDICI ET SAXONICARVM QVAE FOEDERATORVM  
STIPENDIIS IN BELGIO MILITANT COPIARVM  
ARCHIATRI

EXPOSITA

A  
M. THEOPHILO GRABNERO

GYMNASII FREIBERGENSIS COLLEGA

TERTIO

[End. 1705]

ope multumque dolere soleo, miseriis hominum id quo-  
ne accessisse mali, ut, qui iam ad bonam salutaremque  
republicae indolem adoleuere, cooperuntque frugi esse  
publice, et ingenium ac dexteritatem bonis omnibus  
comprobare, praematura morte, uelut in ipsis initii,  
oprimantur, supersint contra diutissime, qui se tan-  
tim uel ad consumendas fruges, uel ad struendos do-  
niuariasque inferendas, natos arbitrentur. Videas Ale-  
Vossios, alia ingeniorum portenta, in iuuenili aetate  
et summae omnium expectationi, immori, vulgus con-  
extremam senectutem peruenire. Adeo nihil in flore  
ribus, in forma nihil, nihil in ingenio, aduersus fati-  
, ut, qui his praeter ceteros excelluerit, ei maxime in-

Quam rem si humani ingenii arbitratu existimes, in-  
bono publico perniciosa, sin animo diuina luce col-  
lam quidem ac iustum censeas, at nec lacrimis deplo-  
minum iudiciis assequendam. Ea causa est, quamob-  
acerbissimi luctus sensu memoriam VIRI quandam  
AMPLISSIMI, atque EXPERIENTISSIMI,  
ISTIANI EHRENFRIED LEHMANNI,  
et Saxoniarum, quae Foederatorum stipendiis in Bel-  
gium Archiatri, repeto, quem praecox nuper fatum no-  
genere, aetate, forma, moribus, fortuna, ingenio, usu  
ac fauore omnium maxime floreret. Enim uero, si  
sto loco nasci, habuit ILLE, cur nascendi felicitate  
namque est GENTE LEHMANNIA, quae cum  
eam ab Imperatoribus gratiam uirtutum meritis iniit  
linem transcriberetur, tum inde ab aliquot seculis pro-  
publicae, uiros haud interrupta serie produxit. Patrem  
CHRISTIANVM LEHMANNVM, Docto-  
rem

